



Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus

Continet triplicem Tractatum: Primus est de Conscientia. Secundus agit de Merito. Tertius de Reviviscentia meritorum.

Lourenço, Agostinho

Leodici Eburonum, 1692

Sectio XXXIX. Vtrùm justus possit mereri alteri existenti in peccato mortali remissionem illius, aut infusionem gratiæ de potentia absoluta?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80151)

facere, licet non ita possint alii peccatores; Adrianus autem de Christo Domino locutus fuit, & non de puro homine. Unde argumentum contra gratiam peccatori tribuendam in hac secunda expositione non urget, ut patet, & ex sequenti Sectione magis patebit. Sit igitur.

SECTIO XXXIX.

*Utrum justus possit mereri alteri
existenti in peccato mortali remissionem illius, aut infusionem
gratia de potentia absoluta?*



820.

ADVERTES, Justum dupliciter posse peccatori mereri gratiam: Primò merendo simul cum illa remissionem peccati; aut quia hæc necessariò sequitur infusionem gratiæ; aut quia Deus sua promissione sancivit peccatori recipienti gratiam remissionem peccati. Secundò merendo gratiam absque remissione peccati, nam ut docent aliqui, ad remissionem peccati præter infusionem gratiæ, requiritur ex natura rei novus Dei favor: & ut alii tenent, licet ex natura rei necessarius non sit is novus Dei favor, sed infusionem gratiæ naturali necessitate sequatur condonatio peccati, divinitus tamen potest non sequi, & cum gratiâ infusâ componi peccatum. His positi s.

821.

DICO I. Justus potest mereri de condigno peccatori gratiam, quando ejus infusionem non est secutura remissio peccati: Ita in terminis *P. Ripal. tom. 2. d. 96. sect. 3. n. 34.* & videtur tenere omnes Doctores supra cit. n. 791. asserentes, posse justum alteri etiam justo mereri de condigno gratiam, & gloriam. Videtur etiam tenere *P. Soar. tom. 3. de Grat. lib. 7. cap. 19. num. 14. & cap. 20. num. 6. & tom. 4. in 3. part. d. 9. sect. 3. num. 8. Scot. in 4. dist. 2. quest. 6. & dist. 14. q. 1. Gabr. ibid. art. 2. Ocham. in 4. dist. 3. Major. ibid. dist. 16. quest. unic. fine. Medin. P. Tanner d. 6. de Grat. quest. 5. dub. 3. num. 57. P. Aegid. d. 21. de Charit. dub. 8. P. Less. lib. 2. de Sum. Bono, cap. 1. à num. 4. Curiel. P. Oviéd tract. 8. contr. 4. punct. 3. n. 57. & 65. P. Arriaga d. 45. de grat. num. 6. quatenus asserunt, gratiam justificantem de potentia Dei absoluta stare posse simul cum peccato, sive absque peccati remissione.*

822.

Probatur primò, quia justus potest mereri de condigno gratiam habitualem alteri justo, ut supra diximus *num. 791.* constituendo illum amicum, & filium adoptivum Dei cum jure ad hæreditatem æternam, & communicationem bonorum cum Deo; ergo etiam poterit mereri de condigno alteri etiam peccatori gratiam seorsim à remissione peccati, cum non detur major ratio. Confirmatur primò, quia majus donum, & beneficium est constitui amicum, & filium adoptivum Dei cum jure ad hæreditatem æternam, & communionem bonorum cum Deo, quam insigniri gratiâ habituali absque remissione peccati, & amicitia, ac filiatione Dei; siquidem ex his duobus bonis eligibilis est primum; sed merita justii habent condignitatem ad primum merendo alteri justo; ergo à fortiori illam habebunt ad secundum merendo alteri non justo, sive peccatori.

823.

Confirmatur secundò, quia licet auxilium gratiæ merè sufficiens suapte entitate sit præstantissimum, non est tantum beneficium, ac donum, quantum est auxilium efficax, etiamsi hoc perfectione

physica sit longè ignobilius; idè enim majus meritum requiritur ad promerenda de condigno auxilia efficacia v. g. perseverantiæ, quam ad promerenda auxilia sufficientia; siquidem ratione eventus adjuncti auxilio efficaci crescit moraliter ejus estimatio, & pretium; sed gratia collata peccatori seorsim à remissione peccati, & absque amicitia Dei comparatur auxilio merè sufficienti; collata verò innocenti cum effectu amicitia & filiationis adoptivæ Dei comparatur auxilio efficaci; siquidem in primo eventu gratia habitualis solum manet sufficiens absque efficacia effectus, ad quem destinatur; in secundo autem existit omninò efficax cum effectu, ad quem destinatur, faciendi scilicet amicum, & filium adoptivum Dei; ergo meritum condignum ad gratiam habitualem in secundo eventu efficacem, erit etiam à fortiori condignum ad gratiam habitualem in primo eventu sufficientem.

Probatur secundò, idè justus potens de condigno mereri gratiam alteri justo, non ita possit illam mereri peccatori seorsim à remissione peccati, quia obstaret resistantia malitiæ, & indignitas peccati, cui deberet æquari bonitas, & dignitas meriti eam resistantiam, & indignitatem superans; sed quando præmium meriti est sola gratia seorsim à remissione peccati, non requiritur bonitas, & dignitas meriti æqualis malitiæ, & indignitati peccati; ergo &c. Probatur minor, quæ solâ indiget probatione, quia tunc exigitur tanta bonitas, & dignitas meriti ad superandam malitiam, & indignitatem peccati, quando hæc propriè, & adæquatè superatur, & destruitur; sed per gratiam seorsim à remissione peccati propriè, & adæquatè non superatur, neque destruitur malitia, & indignitas peccati; siquidem tota, ut supponimus, perseverat in subiecto, nempe in peccatore; ergo ad gratiam divisa à remissione peccati non requiritur ea bonitas, & dignitas meriti potens æquare, & superare malitiam, & indignitatem peccati; ac proinde justus potens de condigno mereri gratiam alteri justo, poterit eandè mereri alteri peccatori seorsim à remissione peccati.

Confirmatur primò, quia non requiritur tanta vis meriti ad superandam partem, quanta ad superandam totam resistantiam peccati; sed ad superandam totam necessaria est bonitas, & dignitas meriti æqualis malitiæ, & indignitati peccati; ergo ad partem superandam non requiritur ea æqualitas meriti; sed quando gratia infunditur peccatori absque remissione peccati, solum pars, & non tota resistantia peccati superatur; siquidem adhuc in subiecto, sive in peccatore manet invicta resistantia ad remissionem peccati, & ad amicitiam ac filiationem Dei, cujus peccator per peccatum manet indignus, & quam primariò, ac per se removet malitia, & displicentia peccati; ergo ad infundendam gratiam peccatori absque remissione peccati, non requiritur vis meriti æqualis malitiæ, & indignitati peccati.

Confirmatur secundò, quia ad remittendum, sive ad retardandum amorem, quo Deus prosequitur justum, non requiritur tanta malitia peccati, quanta requiritur ad illum omninò abolendum, & ad inducendum inimicitiam odium; siquidem ad illud sufficit malitia peccati venialis, cujus odium, & vindicta stare potest cum amore amicitia; ad istud verò necessaria est malitia peccati mortalis, cum quo stare non potest amor amicitia, & inimicitia concitatur; ergo similiter ad remittendam, sive retardandam vindictam, & odium, quo Deus prosequitur peccatorem, non requireretur tanta bonitas, & dignitas actus meritorii, quanta necessaria est ad illud omninò abolendum & ad inducendum amicitia.

amicitiæ amorem; sed bonitas, & dignitas actûs meritorii inducens bona, sive gratiam conjunctam cum peccato, & odio inimicitia Dei, solum remittit vindictam, & retardat odium peccatoris, comparaturque malitiæ, & odio peccati venialis remittenti, & retardanti beneficentiam, & amorem amicitia; ergo sicut malitia peccati venialis inæqualis bonitati gratiæ, & malitiæ mortali, potest mereri de condigno aliqua mala conjuncta cum amicitia divina, ita etiam bonitas actûs eliciti à justo inæqualis malitiæ peccati mortalis, & bonitati justificationis, ac amicitia peccatoris cum Deo, poterit de condigno mereri aliqua bona, sive gratiam conjunctam cum statu inimicitia.

827. Dico 2. Justus potest mereri de condigno alteri etiam peccatori gratiam justificantem cum remissione peccati, sicut condignitate geometricâ, & proportionali. Ita in terminis P. Ripal. tomo 2. d. 96. sect. 4. num. 40. P. Soar. tomo 3. de Grat. lib. 12. cap. 16. num. 12. & fufius tomo 1. in 3. part. d. 4. sect. 7. S. Dico jam primò, & apud illum D. Thom. 3. p. quest. 1. art. 2. & clarius quest. 64. art. 4. & in 4. dist. 15. Medm. 1. part. quest. 114. art. 6. dub. 8. Zemel. ibid. §. Dixi in superioribus, Lorca art. 6. P. Valente. punct. ult. P. Granad. contr. 1. de Incarnat. tr. 2. d. 1. sect. 3. P. Wading. ibid. d. 1. num. 42. Sot. in 4. dist. 1. part. 5. art. 6. & alii supra cit. num. 791. quos citat, & sequitur P. Ripal. cit. num. 18.

828. Ad majorem intelligentiam præsentis & sequentis conclusionis advertendum est, condignitatem meriti esse duplicem: aliam esse æqualem præmio æqualitate absolutâ, arithmetica, & rei ad rem, quâ tantus est valor meriti, quanta est bonitas, & excellentia præmii; sicut tantus est labor mercenarii, quanta est merces labori retributa: aliam esse æqualem præmio æqualitate comparativâ, geometricâ, & solius proportionis, quâ præmium potest absolute excedere pretio valore meriti, licet proportionem, & comparationem ad magnitudinem remunerantis, & ad circumstantias, quibus præmium proponitur, non excedat, & sic eam inæqualitatem ferunt præmia cælestia à Deo nostris meritis promissa. Igitur Authores citati, & plures alii affirmant, justum posse de condigno mereri alteri etiam peccatori, non solum gratiam, sed etiam remissionem peccati, non tamen satis exprimunt, quâ condignitate meritum tali præmio sit æquale, sed illos dicimus intelligendos esse de æqualitate geometricâ, & proportionali, de qua procedit præsens conclusio: Hæc igitur:

829. Probatur primò autoritate D. Aug. tr. 5. in Joan. inter princip. & med. ubi distinguens baptizare per ministerium à Baptismo per potestatem, dicens; illud esse cõferre gratiam nomine, & merito alterius, nempe Christi; hoc autem conferre gratiâ nomine, & merito proprio, qualiter cõferrebat Christus Dominus: Potuit, inquit, JESUS-Christus, si vellet, dare potestatem alicui servo suo, ut daret Baptismum tanquam vice sua, & transferret à se baptizandi potestatem, & eam constitueret in servo, & tantam vim daret Baptismo translato in servum, quantam vim haberet Baptismus datus à Domino; ergo sentit posse justum conferre baptizatis potestate, seu dignitate suorum meritorum effectum, quem Christus de facto confert Sacramento Baptismi; sed hujusmodi effectus non est sola gratia, sed etiam remissio peccatorum; ergo docet, posse justum merito condigno conferre alii gratiam cum remissione peccati.

830. Probatur secundo, quia ut meritum justum sit condignum remissione peccati sibi, vel alteri faciendâ, sufficit habere bonitatem, & dignitatem æqualem

bonitati, & dignitati gratiæ habitualis moventis Deum ad tale beneficium; sed illam habet meritum justum; siquidem essentialiter constituitur dignitate gratiæ, & bonitate actûs, sicque præter bonitatem actûs includit etiam bonitatem, & dignitatem ipsius gratiæ; ergo potest esse condignum remissione peccati sibi, vel alteri. Probatur majòr, quæ sola indiget probatione, quia bonitas, & excellentia gratiæ digna est, cui adjungatur remissio peccati; siquidem Deus digno titulo, sive de condigno movetur ad remittendum peccatum prævio intuitu gratiæ habitualis; ergo sufficit bonitas, & dignitas meriti æqualis bonitati, & dignitati gratiæ, ut Deus de condigno moveatur ad remittendum peccatum.

831. Confirmatur primò, quia tanta est complacentia Dei in merito justum, quanta est in bonitate gratiæ; siquidem meritum justum, ut diximus, comprehendit bonitatem gratiæ, & insuper honestatem moralem actûs; ergo vis motiva Dei ad remittendum peccatum tanta est in merito justum, quanta est in gratia habituali; siquidem hæc vis exercet totam suam causalitatem mediâ complacentiâ, quam allicit in voluntate Dei. Secundo, quia si actus bonus tantæ sit bonitatis, & dignitatis, quanta est gratia habitualis, potest homo per illum sibi mereri de condigno remissionem peccati; siquidem bonitas, & dignitas gratiæ habitualis digna est hujusmodi remissione; ergo etiam sic poterit illam alteri mereri; siquidem talis condignitas sicut sibi, ita & alteri proficua est; sed de facto quodecumque justum meritum tantæ bonitatis, & dignitatis est, quanta est gratia habitualis, & esset ille actus antecedenti præmissus; ergo &c.

832. Probatur tertio, quia inter meritum justum, & remissionem peccati, ut præmium datur æqualitas proportionis, & geometrica sufficiens ad condignitatem meriti; ergo potest justus merito de condigno mereri remissionem peccati, sicut meretur æternam gloriam. Probatur antecedens, quia æqualitas proportionis, & geometrica meriti cum præmio fert distantiam penè infinitam meriti à præmio; siquidem nostra merita, quæ æqualitate arithmetica remunerari dignè poterant solo augmento gratiæ, aut Visione Beata æqualis durationis cum ipsis, remunerantur dignè æqualitate geometricâ præmio æternæ gloriæ, quod comparaturum cum labore momentaneo, & levi nostrorum operum immensum & penè infinitum pondus operatur in nobis, ut ait D. Paulus 2. Cor. 4. 17. nam ea æqualitas confideratur juxta magnitudinem præmiantis, quæ est infinita, & ad munera largienda infinite prompta; & ex dignitate merentis, quæ supponitur prædita dono gratiæ habitualis suapte naturâ destinato ad gloriam; sed hæc eadem magnitudo præmiantis, & merentis dignitas fundat æqualitatem geometricâ, ut titulo meriti promittatur justo dignè à Deo remissio peccati, cum Deus in condonationem injuriarum propensus sit, & gratia habitualis suapte naturâ inferat remissionem peccati; ergo licet talis remissio arguat infinitatem aliquam secundum quid bene poterit meritum justum ad æqualitatem proportionis cum illa pervenire.

833. Oppositum tenent P. Vasq. tomo 1. in 3. part. d. 4. cap. 5. P. Merat. tract. de Incarnat. d. 4. sect. 3. P. Gasp. Hurr. ibid. d. 1. diff. 14. P. Torres. opusc. 8. d. 4. dub. 2. P. Lugo de Incarnat. d. 5. num. 124. P. Petr. Hurr. ibid. d. 10. & 52. D. Bonaven. P. Perez. ibid. d. 5. sect. 2. P. Amicus ibid. d. 5. n. 279. P. Ariaga ibid. d. 5. num. 38. & d. 54. de Merit. num. 16. & plures alii afferentes, non posse purum hominem justum condignè satisfacere pro peccato mortali,

sicque pro illis: Arguēs 1. Sancti Patres docent, non posse purum hominem liberare genus humanum à peccato; atqui si posset aliis mereri de condigno gratiam, & remissionem peccati, posset liberare genus humanum à peccato; ergo &c.

834. Probatur minor primò, quia parum refert, quod libertas eveniret per modum meriti, aut condignæ satisfactionis. Secundò, quia D. Cyrill. Alexand. in Concil. Ephes. tomo 6. cap. 4. & cap. 14. D. Proclus *ibid.* cap. 7. D. Basil. in psal. 28. D. Athan. D. Cyprian. D. Leo, D. Iren. D. Fulgent. & alii, quos adducit P. Vasq. cit. cap. 3. & P. Granad. supra tr. 2. d. 1. sect. 3. rationem illius impotentiae tradunt ex eo, quod purus homo non potest exhibere pretium, hostiam, & holocaustum sufficiens, sive condignum redemptione; sed meritum condignum gratia, & remissionem peccati aliorum, est pretium, hostia, & holocaustum sufficiens, & condignum redemptione; ergo &c. Tertio, quia Sancti Patres eodem modo, quo loquuntur de satisfactione, loquuntur etiam in specie de merito, ut loquitur D. Leo serm. 12. de Passione: *ibi: Quia ergo primi hominis universa posteritas uno simul vulnere sauciata corruerat, nec ulla Sanctorum merita conditionem poterant illatae mortis evincere, venit è caelo medicus singularis.* Et D. Aug. lib. 1. de Peccat. merit. cap. 14. *Quisquis, inquit, ausus fuerit dicere, justificare te, consequens est, ut dicat etiam, crede in me. Quod nemo Sanctorum recte dicere potest, nisi Sanctus Sanctorum.* Et infra concludit: *Sicut non est credendum, nisi in solum Deum, ita nullam creaturam justificare posse, nisi solum Deum; sed ex phrafi D. Leon. & D. Aug. ibi justificare alium, est influxu meritorio capitis gratiam impios justificantem in alium transfundere, quam solus Christus potest transfundere, & nullus Sanctus imitari; ergo &c.*

835. Respondeo argumentum, ejusque probationes nullam vim habere contra praecedentes conclusiones; siquidem Sancti Patres, ut dicit P. Ripal. cit. num. 57. aperte ibi remouent à puro homine meritum remissionis peccati, quæ sit liberatio, & redemptio à peccato, & ita perfectum, ut seclusa gratia remuneratoris, sit æquale æqualitate arithmetica, non autem solâ geometricâ, de qua loquimur, & est dependens à gratia remuneratoris, cum Deus pro suo libitu possit munera, & præmia longè inæqualia nostris operibus proponere, sitque gratia, & largitas promittere omnium suprema, licet præcedente promissione pertineat ad justitiam illa conferre. Unde Sancti Patres de æqualitate meriti perfectâ, & arithmetica, qualis fuit æqualitas meriti Christi Domini; non autem de æqualitate geometricâ, quam dicimus posse dari in creatura merenti alteri remissionem peccati; ac proinde agunt de merito condignè satisfactorio, & non de condigno purè meritorio, quæ duo longè discrepant. Unde:

836. Advertes, satisfactionem condignam pro peccato multipliciter differre à merito condigno remissionis peccati: Primò ex parte condignitatis, quatenus ad condignitatem satisfactionis requiritur æqualitas inter bonitatem operis satisfaciens, & malitiam peccati: ad condignitatem verò remissionis non ita, sed sufficit, quod bonitas operis æquetur bono, seu pretio remissionis, quod non est æquale malitiæ peccati. Secundò, ex parte effectus moralis in quem diriguntur; siquidem meritum remissionis refertur ad tollendam aversionem, & indignationem rationabilem personæ offensæ; satisfactio autem ad extinguendum jus personæ offensæ,

quod habet ad passiones, sive pœnas satisfactorias offendenti, & ad exigendum jus, quod habet in obsequia, & actiones ipsius offendenti.

Tertio ex diversâ conditione personæ satisfaciens, & merentis; siquidem offensus, cui fit satisfactio, obligat tanquam creditor, offendens verò satisfaciens obligatur ad satisfactionem tanquam debitor: at verò ad merendum è contra, non supponitur merens de condigno remissionem obligatus, sive debitor, sed obligat tanquam creditor remuneratore præmii. Item merens debet esse inferior præmiante: non ita verò satisfaciens. Quarto ex diversa efficacia ad extinguendam offensam; siquidem meritum condignum illum extinguit dependenter à favore, & condonatione Dei: at verò satisfactio condigna independenter ab illa. Ex quibus patet Sanctos Patres nihil dicere contra præcedentes conclusiones, utpote qui loquentes de merito condignè satisfactorio, & non purè meritorio in sensu longè diverso locuti, & intelligendi sunt.

SECTIO XL.

Proponuntur, & dissolvuntur alia argumenta Contrariorum.



ARGUES 2. cum P. Vasq. cit. Gratia habitualis solum potest conferre valorem condignum operibus iusti, ut sibi, non verò aliis mereatur; ergo iustus non potest alteri de condigno mereri gratiam cum remissionem peccati. Respondeo negando antecedens, ut patet ex supra dictis à num. 807.

ARGUES 3. cum P. Torref. cit. Si iustus posset mereri alteri de condigno remissionem peccati, non esset necessaria Incarnatio; sed hoc non est dicendum; siquidem Sancti Patres communiter asserunt, necessariam fuisse Incarnationem ad redimendos homines à peccato; ergo &c. Respondeo negando majorem; adhuc enim fuisset necessaria Incarnatio ad condignam satisfactionem pro peccato, ad quam potius, quam ad meritum condignum dicitur à Sanctis Patribus fuisse necessariam.

ARGUES 4. cum P. Hwt. cit. Si iustus posset alteri de condigno mereri remissionem peccati, posset etiam merito de condigno pro illo satisfacere; siquidem eo merito satis daret Aeterno Patri pro debito peccati; nam meritum condignum est pretium æquale debito peccati; pretium autem æquale debito satisfacit de condigno pro illo, sicut pretium æquale debito pecuniæ satisfacit pro illo; sed purus homo iustus non potest condignè satisfacere pro debito peccati; ergo neque condignè mereri ejus remissionem. Respondeo primò, nullam esse consequentiam à merito condigno remissionis peccati ad condignam illius satisfactionem; siquidem longè inter se distant, ut patet ex dictis à num. 836.

Respondeo secundò, dato, quod meritum condignum latâ quadam significatione dici posset condigna satisfactio, non esse tamen illam satisfactionem condignam, quam Sancti Patres, & Theologi negant possibilem puro homini, sed aliam, quæ par sit malitiæ peccati, & attento ipsius valore se ipsa immediatè sufficiens extinguere offensam & jus Dei adversus peccatores acquisitum seorsim à condonatione ipsius.

ARGUES 5. cum P. Lugo cit. Si iustus posset sibi, & alteri mereri de condigno remissionem peccati, vilesceret